

## **Оссолінські колекції.**

**CD – диск виконано в рамках угоди укладеної з квітня 2004 р. між Львівською науковою бібліотекою НАН України у Львові і Національним Закладом ім. Оссолінських у Вроцлаві.**

Lwowska Naukowa Biblioteka im. W. Stefanyka NAN Ukrainy. Oddział Rękopisów. Zespół  
(fond) 103.

ARCHIWUM SAPIEHÓW Z KRASICZYNA

IX. RĘKOPISY I DRUKI.

552. Philosphia universa quam Fortunatissimis auspiciis... Michaelis... Sapieha  
procancelarii MDLithuaniae...propugnandam suscepit A.D. 1755. Druk.

***STRONY NIEZAPISANE NIE ZOSTAŁY ZDIGITALIZOWANE***

552/1

8 fura 444

1

PHILOSOPHIA UNIVERSA,

quam

Fortunatissimis Auspiciis

ILLUSTRISSIMI ac EXCELLEN-  
TISSIMI DOMINI DOMINI

MICHAELIS

In Bychow, Druja, Dąbrowna, Czereja &c.&c.  
COMITIS

SAPIENTIA

PROCANCELLARII

M. D. Litvan:

Equitis Aquilæ Albæ


Ruffiæ Orthodoxæ & Basilianæ Familiæ

PROTECTORIS AMPLISSIMI

propugnandam suscepit

Studium Philosophicum Basilianum  
Polocense

Annô Domini MDCCLV. Mense Julio.



Vilnæ Typis S. R. M. Academ:  
Societatis JESU.

*Bartholomaeus Futorius  
Bartholomaeus Futorius  
Nobis in Sobierie  
Impressio Futorius  
Futorius in  
1755.*




ILLUSTRISSIMO ac EXCELLENTISSIMO  
DOMINO, DOMINO  
MICHAELI

In Bychow, Druja, Dąbrowna, Czereja &c. &c.

COMITI

SAPIEHA  
PROCANCELLARIO M.D.L.  
Equiti Aquilæ Albæ.

## DEDICATIO.

 D mihi *Procancellarie Illustrissi-  
me* Viri Principes, Tibiq; similli-  
mi divinum habere videntur,  
quod eorū amplitudini nihil par offer-  
ri, nihilq; tale unquam vel ad cohone-  
standam præsentia Eorundem Maje-  
statem, vel ad testificanda prona in  
illos bonorū studia afferri possit, quod  
non Dignitas illorum incredibilis longè  
infra se abjectum jacere contempletur.  
Idq; animos ingentes nobis addit, quo-  
minùs hoc leve & minutum munuscu-  
lum Tibi Summo Reipublicæ Admini-  
stro,

stro, Hospitiq; hac in Urbe spectatissimo devotum facere vereamur. Neminem enim puto tam iniquum nobis extare posse, qui vel nostrum erga Te, Tuumq; Sacrum Nomen gratum animum levi hoc officio ponderare, vel observantiam in Te nostram his ex foliis chartarum paucissimis metiri voluerit. Istis enim adducti causis Philosophiã Universam Amplissimo Tuo Nomini nuncupare, & Tuïs auspiciis luci atq; disceptationi publicæ exponere constituimus.

Ac quod ad primam attinet, cui arctioribus vinculis nos obstrictos teneri dicemus, quam Tibi *Procancellarie Illustrissime*, quem dono Divinæ Providentiæ ad Præsidium, defensionem, ornamentum oblatum sibi Russia Orthodoxa ac Basiliana Familia gratissimis animis colit, & prædicare cessat nunquam. Tuum enim est robur, quò inter tot, ac tantos Hæterodoxorum  
in

3

in nos impetus, ac vehementes incur-  
sus immoti persistimus. Tua Virtus,  
quâ tantas hominum & temporum in-  
jurias propulsamus. Tuum Præsidium,  
quô nomen, innocentiam, partes Rus-  
siæ Orthodoxæ apud Principem Opti-  
mum, totamq; Rempublicam tegimus,  
munimus, propugnamus; Tuum deniq;  
omne, cujus vel defensi à Te, vel cu-  
mulati, vel protecti fructu vehementer  
lætatur, & gaudentes de Te nobis,  
devoentes nos Tibi, gratulantes Ec-  
clesiæ, DEO gratias agentes in animo-  
rum nostrorû recessibus propemodû  
triumphamus. Quæ quidē omnia, jam  
non indicia, non nuda argumenta, sed  
pignora Voluntatis Tuæ in nos beni-  
gnissimæ, & munera beneficentiæ sin-  
gularia, ampla & magna esse quisq;  
cogitat, sed quàm longè majora, ampli-  
ora sint, quàm cujusquam mens, aut  
cogitatio assequatur, ostendit ille, qui  
Christi Summi DEI locum inter mor-  
tales obtinet, ille inquam Princeps  
B orbis

Christiani Maximus **BENEDICTUS**  
XIV. qui intelligens Ruffiæ Orthodo-  
xæ, humillimæq; Bafilianæ Sodalitatis  
Patrocinium cum Religionis Catholicæ  
caufa esse conjunctum, pro Tuo divino  
in illas studio, Litteris datis Apostoli-  
cis cum adeò Illuftri de dignitate, In-  
genio atq; Virtute Tua testimonio,  
maximas fe Tibi habere gratias pro-  
fessus est, & rurfum nos Fidei & Patro-  
cinio Tuo commendatos voluit & com-  
miffos. Quâ ratione oftendêt inquam,  
quam incredibilibus nos univerfos ob-  
stringas, obstringereq; porrò perges  
beneficiis. Is quippè est **BENEDI-**  
**CTUS**, qui, quemadmodùm orbem  
terrarum univerfum fascium fuorum  
Majeflate complevit, ita omnes popu-  
los, Provincias, nationes, eos quoq;,  
qui Sanctiffimi Imperii fui hoftes funt,  
judicii acerrimi, æquæ rerum existi-  
mationis, & fapientiaæ fingularis ad-  
miratione defixit, adeò, ut quidquid  
probet, magnum atq; rarum fit oportet.

4

tet. Quare optimo jure à nobis, qui omnino nos non ingratos, neq; inofficiosos Basilianæ Parentis Filios profiteri volumus, hoc quaecunq; Tuo Nomini sacrum, Tibiq; veluti Numini beneficentissimo tanquam votivam tabellam affixum, habes monumentū, quod unquam non testetur nos erga Patrum nostrum optimum gratos & esse velle, & videri.

Verū enim vero non Tuæ modò singularis in nos benevolentia nomine, hoc Tibi à nobis debitum esse officium putavimus, sed nomine etiam immortalium promeritorum, quibûs Gens *SAPIEHANA Celsissima* cum omnia pene alibi, tum hoc nostrum Cænobium Polocense, studiumq; illius Philosophicum, quale id, quale demum sit, sibi & Tibi in omne consequentium sæculorum spatium mancipavit. Constat namq; Monasterii nostri Polocensis fortunam totius Reipublicæ beneficiò, *Illustrissimorum* verò *SAPIEHA-*

RUM meritò stetit & præfidiò.  
PAULUS enim SAPIEHA Proavus  
Tuus Procancellarie Clarissimus, Pala-  
tinus Vilnensis, Supremus Litvanæ mi-  
litiaæ Imperator, ille inquam PAULUS,  
qui JOANNE CASIMIRO Sceptra  
Poloniae moderante, cum omni ex par-  
te armis finitimorum concuteretur Po-  
lonia, civium diffidiis expiraret Respu-  
blica, vexarentur urbes, oppida exu-  
rerentur, Tempa sacrilegæ prædæ  
paterent, nihilq; usquam Sanctum,  
cultum, tectum, immune videretur,  
unus inventus est, in quem suffragante  
Exercitu, Equestri Ordine deposcen-  
te, Rege designante, belli Imperatorẽ  
delectum (a) tantâ fiducia desperatas res  
Patria inclinaret, ut hoc superstite se su-  
per futuram sperare posset. Ille, qui Dux  
belli effectus fusò ad Brestam Horu-  
foviò, depulsò Doſhorukiò, profliga-  
tò Chovanſciò, obfessò, captòq; Vi-  
tembergiò, Moschis deletis, Suecis  
superatis, Transylvanis cæsis fugatifq;

Co.

(a) P. Kojall: Soc: J. in Pas: Glor:

5

Cofacis compressis, Populum Litvanū  
Polonumq; ex cæde miserrima, Tem-  
pla è rapinis, oppida ex flamma, urbes  
ex vexatione acerbissima, Rempubli-  
cam ex interitu, Samogitiam, Poleffiã,  
Podlachiam, Litvaniam ex bello & va-  
stitate eripuit, omnes deniq; à morte  
ad vitam, ab exitio ad salutem, à rebus  
desperatis ad spem meliorem revoca-  
vit, & redditis omnibus Patriæ Sacris  
ac humanis (b) *unicus servatæ Litva-  
niæ Pater audit.* Ille ergo fortissimus  
Imperator, cum (c) ad Połonkam cum  
Chovanfcio Moschorū Duce nimium  
præfidente, pristinis victoriis elatissi-  
mo, millibus innumeris militum cir-  
cumsepto, exigua suorum manu con-  
gressus, quatuor & ultra supra viginti  
millia hostium (d) auspiciis recens nu-  
mero Beatorum, Regniq; Poloniæ Tu-  
telaribus adscripti Martyris JOSA-  
PHATI (quem scilicet pugnae initio  
pius & supplex invocarât, cujusq; no-

C men

(b) *Idem apud P. Misztollâ in Hist: Sap: (c) ad ann: 1660. (d) P. Kulesza  
Fid: Orb: fol: 305. & Ill: Susza in Hist: B. Josaph: mirac: 108.*

men gloriosum tesseræ militaris locò  
promulgari & haberi voluerat:) cùm  
inquam, præsentissimâ ope Martyris  
hujus pro Fidei unione invictissimi, tot  
Moschorũ millia cæcidisset, hominem  
autem illum animi inflati atq; incitati  
cum reliquo paucissimo milite, quem  
in castris suis ferverât, in turpem fugam  
conjecisset, Nuntios, qui ad Regem to-  
tamq; Rempublicam, Litvanos cum  
Polonis Victores de Moschis extitisse  
perferrent, expedivit, ac per eos insti-  
tit ordinibus Patriæ universis, grates  
sepe pro ope Patriæ occidenti porre-  
cta erga **JOSAPHATUM** præsta-  
rent, delubri, ac sepulchri ejus Religi-  
onem adaugerent, Monachorũ, quo-  
rum hucusq; paucissimi Piorum Stipe  
victitantes Divi laudati Tutelaris cul-  
tui serviebant, numerũ cumularent,  
fundis fructuosis dotarent, quantocy-  
usq; ad **ALEXANDRUM VII.** Pontifi-  
cem Optimum Maximum legatos mit-  
terent, qui, ne Is Cœlestes honores,  
pu-

6

publicosq; novo Ruthenorum Indige-  
ti decernere cunctaretur, supplices  
postularent. Quorum alterū (e) mox  
expletum, alterum paucis pòst annis,  
rebûs scilicet Patriæ meliùs constitu-  
tis, à **MICHAELE KORYBUTHO** Re-  
ge Poloniarū perfectum, qui curam re-  
ferendæ Divo gratiæ suscipiens, ex sen-  
tentia Amplissimorū Reipublicæ Or-  
dinum, prædia quædam in Provincia  
Polocensi sita, suis, Publicæq; rei juri-  
bus obnoxia Cœnobio nostro adjecit,  
& ut verbis Ejusdem Optimi Principis  
utar (f) *prægnantissimum Reipublicæ  
votum tanquam tabellam perennem ad  
Lipsana incorrupta Auspiciis Polonensis  
Victoriæ figendum curavit.* Hoc verò  
infigne pietatis in eximium Tutelarem,  
beneficiæ verò in nos singularis ar-  
gumentum, quò robur perpetuum ob-  
tineret, Avus Tuus nunquam sine lau-  
de nominandus Illustrissimus **CASI-  
MIRUS JOANNES SAPIEHA** Pa-  
lati-

(e) P. Kulesza locò laud: (f) in Priv: Michæelis R. An: 1673. d. 13. Apr

latinus Vilnensis Supremus Exercituū  
M. D. L. Ductor, interea Palatini Polo-  
censis Dignitate præfulgens, precibûs,  
diligentiâ, solitudine singulari, (g) in  
Publicas Tabulas ut referretur, effecit,  
peræquè atq; istud, ut gratô animô ver-  
semus semper, *SAPIEHAS Celsissimos*,  
quemadmodum aliorū pene omnium,  
ita hujus nostri Monasterii, non minus  
quàm studii Auctores extitisse & Per-  
fectores. Æquum igitur est, *Procancel-  
larie Illustrissime*, ut Studium Polocen-  
se, quod Tuorum Avorum pulcher-  
rimô meritô floret, coram Te, qui  
Avorum Gloria es & Corona, Eo-  
rumq; uti Sangvinis, Dignitatis, Vir-  
tutis, sic & immortalium in Deum,  
Patriam, bonosq; omnes pro merito-  
rum Hæres spectatissimus, operæ,  
contentionis, laborumq; suorum spe-  
cimen exhibeat, fructûs percepti pe-  
riculum faciat, quo constare posset,  
nos nolle Insignissimô Vestrô beneficiô  
insolentiùs uti, velle facere voluntati

7

fatis, idq; primum habere, ut pro  
Vestris divinis in nos promeritis gra-  
ti undequaq; cenferi & haberi posse-  
mus. Rem verò supra votum fluxisse  
credemus, si Tuo *Procancellarie Illu-  
strissime*, quò nec majus ullum, nec æ-  
quius extare potest, judiciò, non abusi  
*SAPIEHANO* promeritò, fructumq;  
aliquem cepisse dignoscemur.

De tertia verò causa, quæ nos im-  
pellit, ut hoc officiò leviusculò Te Ad-  
ministrum Reipublicæ prosequamur,  
nihil est, quod dicamus. Possumusne  
namq;, Te, *Procancellarie*, maximum  
Pompæ, quâ Nepotis Tui Ornatissimi  
Dignitas celebratur, & primū lumen  
hac in urbe contemplantēs, nullū cul-  
tūs, nullum observantiæ in Te nostræ  
proferre argumentū? si Tu videri ne-  
quis, quin ii Tui oculos præstringant  
splendores, qui vel seorsim spectati  
omni officiorum genere coli debent.  
Ut enim Generis Tui celeberrimi o-  
mittam ornamenta, quæ si quis non

D

videt,

videt, nihil videt, si majora requirit,  
desipit, helleboroq; plane eget; Ut A-  
vos, Proavos, Atavosq; non recenseã,  
quorum omnium es Illustris commen-  
datio; Ut taceam Nepotes Tuos Le-  
ctissimos, alterum *Illustrissimum ALE-*  
*XANDRUM* Palatinũ Polocensẽ, quõ  
expectationem dignam Te Patruõ, di-  
gnam *SAPIEHANA* Profapiã, dignã  
Ejus Indole, exples in præsentia cu-  
mulatè; alterũ *Illustrissimum MICHA-*  
*ELEM* Præfectum Punensem, (h) qui  
( ut quæ de Te olim scripta lego non  
inconcinnè verèq; Ei commodem) *Pa-*  
*trui sui vendicans Nomen, Ejusdem etiam*  
*imitari contendit actiones, principio æta-*  
*tis suæ illam præferens Indolem, quæ ad*  
*maxima quæque natam sese exhibet. Ut*  
transeam Honores Tuos, quibûs Rei-  
publicæ Minister, & inter Ministros  
Senator præfulges. Munere enim Pro-  
videntiæ pridem Tibi ii destinati fue-  
runt, neq; ad summos Honores eve-  
hentibus eligendi Tui facultas, sed Glo-  
ria

(h) P. Misztollã in Hist: Dom: Sap:



quam Tuo loco *Senator* dicis, firma,  
Oratio, quâ *Minister* respondes, co-  
piofa, hinc confiliorũ in arduis fubitifq;  
etiam rebus promptitudo, hinc vera à  
falsis, noxia ab utilibus, dubia à tutis,  
mira fecernendi facultas. Sed fortassis  
pauca hæc funt. Quid Tuô in Patriam  
& bonum ejus publicum amore præ-  
stantius? qui Te Tibi nec foli natum,  
nec foli vitam agere, Magistratum ve-  
rò Tuum ad univerfæ Reipublicæ uti-  
litate referri debere præclarè existi-  
mans, in eo totus es, ut Patriæ beatita-  
ti fortunæq; prospicias femper. Qua-  
re nulli unquam in Provinciis, municipi-  
piis, conventus, conciliaq; habentur, in  
quibus Te absente Litteræ Tuæ non  
loquantur, Confilia Reipublicæ saluta-  
ria, municipiis ipsis necessaria non pro-  
mant, ad unam vocẽ omnes, mentemq;  
non impellant, atq; ea non suggerant o-  
mnia, quæ è re Patriæ funt, illiq; condu-  
cunt. Unde confequitur, quod ut Publi-  
cæ utilitati confulas, non nocturnis vigi-  
liis,

9  
liis, non diurnis laboribus parcas, & Ti-  
bi multū fortassis incommodus fias, ut  
Te Reipublicæ commodū, & commoda  
quæq; ei præstes. Jam quis Justitiæ  
Tuæ æquiq; amorem satis oratione ce-  
lebrabit? Obversantur certè omnibus  
ante oculos judicia, tum quæ supremus  
Tribunalis Litvani Præfectus, omni-  
um Reipublicæ Ordinum Authorita-  
te reddebas, tum quæ *Procancellarius*  
præstantissimò jure Majestatis inter-  
dum exerces, obversantur inquam,  
& nunquam desinunt contestari,  
Tuo ore ipsam Themidem judicare,  
quam nec gratia flectere, nec cupi-  
ditas infirmare, nec cognatio, ami-  
citia ab æquo honestoq; abripere po-  
test. Quanta tandem in Te Huma-  
nitas, illaq;, quæ Viros Illustrissimos  
mirum in modum ornat, gratioresq;  
exhibet, erga omnes affabilitas? Osten-  
dunt illa Litvaniæ totius in Te Gen-  
temq; Tuam studia, illa civium in Ho-  
norem Tuum voluntas, communisq; o-

E

mni-

mniū existimatio infestum Tibi, Vir-  
tuti infestū haberi. Nōsti enim arcanā  
quadam ratione summam Authorita-  
tem adspargere comitate, condire be-  
nignitate, Magistratūsq; Tui Majesta-  
tem ita cum juris æqualitate conjunge-  
re, ut quæ pugnare alioqui videntur,  
in Te uno tamen conveniant optimè,  
& nihil Authoritati affabilitas, comi-  
tati Majestas, officiat, sed altera alterā  
ornet, mutuoq; in id, ut illustriores fi-  
ant, conspirent. Quid verò Tuam me-  
morem in Superos Pietatem, Religio-  
nisq; tuendæ ardorem? testes ejus rei  
sumus omnes, quotquot Orthodoxi  
Rutheni sumus, à quibus ut ictus infe-  
stissimorum Catholicæ confociationi  
hominū, impetusq; prohibeas, nihil non  
cogitas, non moliris, non tentatū relin-  
quis ac efficis, ut nulla unquā Ecclesiæ  
Orthodoxæ ætas de Tuis laudib9 con-  
ticescat, sed illud nostris consignatum  
monumentis Posteris clarissima voce  
loquatur, vestrō scilicet semper ste-  
tis-

tisse præfidiô, Authoritate, diligentia, quidquid in Russia Catholica fuit visum summa impetitur, nec eversum, machinis omnibus oppugnatũ, nec collapsum. Pietatẽ verò, profusamq; in Superos Liberalitatẽ Tuã loquuntur Divinæ Ædes pluribus in locis vel ex squallore & sordibus ad dignũ Sacrò domiciliò decorẽ revocatæ, vel amplis muneribus, & piã munificentia perornatæ; Loquuntur *SAPIEHANO Czerlonensi* nostro Monasterio adjecti fundi, pascua, culta *Kozakovensia*, ibidemq; magnifica nobis à fundamentis excitata domus. Loquitur itidẽ vetustissimũ Monasteriũ *Czerejense*, quod à *MISAELE PSTRUCH* ex Principe Severiensi Monacho Basiliano, Archiepiscopo primũ Smolenscensi, tandẽ verò Metropolitano Russiæ, Viro Sedi Apostolicæ per devoto ad Annũ *MCCCCLIV.* excitatum, à *BOGDANO SAPIEHA* Notario primũ Litvaniæ, demũ Palatino & Duce Exercituũ Smolenscensiũ,

*MARIÆ PSTRUCHOWNA* Principis Severiensis Marito Ornatissimo, ac capite, à quo Majorū Tuorū in Linea Severiensis series percensetur, defensū semper & protectū, postea ex immani vastitate à *LEONE SAPIEHA* Palatino Vilnensi Cancellario M. D. L. & supremo Litvani Exercitūs Imperatore in pristinū Splendorē fortunas, res, & fundos restitutū, novīs beneficiīs cumulatè adauctū, quod ita inquā adauctū, restitutū, protectū, conditum nuper contra quosdā acerrimos ejus inimicos Tuō Præfidiō communiisti, summo æquitatis amore ab injuria vindicāsti, curā, sollicitudine, consiliō, studiō incredibili in suis fundis & rebus non exiguō Gloriæ DEI Præpotentis augmentō collocāsti. Quid deniq; memorē beneficentiā in egenos, clementiā in subiectos, fortitudinem, temperantiā? Latissimū hīc ad Telaudibus efferendū campū video, & dum aliud planè ago, panegyrim cogito. Sed non permittā, ut omnia, quæcunq;

cunq; sese mihi ad dicendū offerunt, o-  
 ratione complectar. Haudquaquam,  
*Procancellarie*, quod laudibus Tuis Pa-  
 triā universā replentibus invidere veli-  
 mus, nos enim morte mulctari, & alia  
 acerbissima quæque perferre malum,  
 quàm ut immortalib9 ornamentis, quæ  
 luce clariora sunt, invideri, aut detrahi  
 patiamur; sed quòd splendoribus Tu-  
 is & multitudine innumeris, & per se  
 undequaq; clarissimis inferiorē orati-  
 onē nostrā esse, illisq; planè imparē sen-  
 tiamus, adeoq; existimemus, potius in-  
 tra limites, quos hac oratione Philoso-  
 phiæ Tibi inscribendæ causas explica-  
 re statuentes præfiximus, prudenter  
 nos continere, quàm imprudenter co-  
 nari, quod vires excidit nostras, ac co-  
 piofissimā quorumvis eloquentiā. Inte-  
 rea tamen quemadmodū vehementi  
 dolore afficimur, quòd Laudes Tuas  
 verbis ac dictis exæquare nequeamus,  
 tam summopere gratulamur Te talē,  
 tantumq; Reipublicæ Ministrū, Fauto-  
 rē

F  
 Sive Philosophia  
 Basiliana Polonica

rē nobis obtigisse, qui non modò laudibūs omnibūs superior sis, sed etiā laudandi studiū vincas & conatū. Ac proinde meritò cogitamus nos unicā in Te observantiā esse debere contentos.

Accipe ergo *Procancellarie Illustrissime* hujus in Tua decora immortalia observantiæ, simulq; nostri erga Te constantissimū Familiæ nostræ Defensorē, nec non beneficentissimorū Monasterii hujus nostri & studii Patronorū Hæredē gloriosum, grati demissiq; animi monumentū; Accipe libens & benignus, tantò majore benignitatē Tuā apud posteros commendaturus argumentò, quantò minora sunt, quæ Tibi offerri vides. Postremò ut Te salvū, florentē, beatū, bono Reipublicæ, Religionis Orthodoxæ incremento, nostræ sodalitatis Patrocinio DEUS O. M. diutissimè fervet, tegat, atq; tueatur, omnium, & suo voto precatur

**Illustrissimo Nomini**

**Devotissimum**

Studium Philosophicum

Basilianum Polocense.

# THESES PHILOSOPHICÆ.

Ex

LOGICA.

I. **L**ogica, quæ est ad affecutionem aliarum scientiarum utilissima, non tamen necessaria, mentis operationes ex munere suo ad verum dirigit. Hinc non malè definitur disciplina rationis directrix. Duæ porrò sunt classes mentis operationum, *Idea* scilicet & *Judicium*, vel enim mens quidpiam concipit tantùm, vel concipit unum affirmando, aut negando de alio. Hinc discursus est species Judicii; est enim illatio unius ex alio, sive actus mentis affirmantis vel negantis aliquid de alio propter consensionem vel dissensionem extremorum cum medio.

II. Mens nostra percipit interdum rem unam permodum plurium, interdum plura permodum unius. Ubi primum fit, intervenit intentionalis distinctio in ordine ad diversa connotata, ubi alterum, exurgit universale metaphysicum. Quod quia quinque modis intelligitur convenire multis, nempe vel essentialiter importando totam essentiam, vel essentialiter importando partem essentiaë materialem & determinabilem, vel essentialiter importando partem essentialem formalem & determinativam, vel concomitanter, seu ut mutuò connexum & necessario comitans essentiam, vel denique accidentariè tantùm, idcirco quinque universalìa sive prædicabilia habentur: *genus, species, differentia, proprium, & accidens.*

III. Res verò, quascunq; mens simplici perceptione attingit, in decem classes seu genera rediguntur. Tot enim genera suprema ab Aristotele percensentur, nempe: *Substantia, quantitas, relatio, qualitas, quando, ubi situm esse, habere, agere, pati.* Relatio, quæ est ordo unius ad aliud sive sit transcendentalis, sive categorica consistit in fundamento connotante terminum.

IV. Veritatem propositionis in actu connotante objectum ita se habens, ut enuntiatur ab illo, reponimus. Ad quæstionem verò, utrum propositio, quæ in materia contingenti aliqua de re enuntiari solet, ita sit vera, ut falsa tandem fieri nequeat? respondemus, quòd verisimilius opinamur, nullo pacto fieri falsam posse, si semel vera fuerit.

V. Scientiam de omnibus omninò rebus haudquaquam extare certum est, extare tamen de pluribus meritò contra Scepticos propugnamus. Quodq; benè cum illa simul & in eodem intellectu conveniat Fides & opinio, non est, cur negemus.

#### EX PHYSICA.

VI. Physica corpus naturale contemplatur, quatenus scilicet ex materia & forma compositum, suisq; proprietatibus donatur. Porro nullo corpus sensibile extare dicimus, quod ex materia seu subjecto & forma substantiali sive essentiali non constet. Est autem materia inesse substantiæ per se subsistentis completissima, quan.

quanquam in ordine ad corpus, quod componit incompleta dici potest. Quia verò est ens physicum & reale, propriam habet existentiam. Idem dicendum de formis plantarum & brutorum. Hæc enim forma absoluta, sive anima realiter distincta à materia donari, secus ac recentiores opinantur, infra asseremus. Formarū ejusmodi cum materia unionem non esse reulam modalem distinctam à materia & forma sibi intimè præsentibus vi decreti Divini volentis, ut faciant unum per se, propugnamus.

VII. Causa est principium dans alteri esse limitatum. Hæc nec supernaturaliter quidquam efficere potest in loco longè distito, si in spatio interjacente nihil ab illa ponatur, quod cum ipsa concurrat ad talem effectum. Possunt tamen duæ causæ positivè totales ejusdem generis & ordinis simul pro eodem instanti naturaliter producere eundem numerò effectum.

VIII. Divisibilitas corporis utrum fines admittat, necnè, certò decidi nequit. Pensatis tamen omnibus rerum momentis, illud ut verisimiliùs asserendum est: continuum non esse reverà infinitum divisibile. Nec oppositum evincitur demonstrationibus Geometricis, cum ex omninò minùs aptè huc transferantur. Non ideo tamen ex punctis Zenonicis continuum conflare decernimus, cum probè perspectum habeamus, ex iis, quæ extensionis expertia sunt, fieri extensum non posse. Igitur dicimus constitui illud ex punctis

G

phy-

physicis realiter indivisibilibus, mathematicè tamen & designativè divisibilibus in infinitum.

IX. In mobilitate corporum sive motu locali duo præsertim spectantur, *determinatio*, per quam in unam potiùs partem, quàm in aliam dirigitur, & *quantitas*, quæ ex mole corporis mobilis & motûs velocitate desumitur. Etenim pari motûs quantitate corpora donabuntur, si mole paria fuerint, & æquali celeritate agitata, vel si alterum alterius duplum sit, sed dimidiata tantùm velocitate motum. Et hoc est principium Statices, quo illa, ut magna pondera minima vi moveat, in machinis suis utitur, quæ omnes commodè ad vectem & planum inclinatũ revocantur. Motûs projectorũ continuati causa eadẽ est, quæ motûs primùm impressi. Motus verò gravium deorsùm nullatenus oritur ab insita sibi qualitate, quæ gravitas dicitur, cùm hæc & inutilis, & explicatu difficilis est, nec provenit à particulis ex astris, maximè verò ex sole decidentibus, & corpora versùm terram propellentibus, ut opinatur Eques Digbeus, cùm de ipsis particulis quæri possit, quid eas ipsas deorsùm protrudat? neq; repeti potest ab effluviis terræ magneticis, siquidem versùm Polos terræ æquâ celeritate descendunt gravia, ac sub æquatore; sed desumenda est ab æris ætherisq; pressione in hypothese, quam post Duhamelium passim Recentiores propugnant. Quòd verò gravia decidentia motum suum accelerent saltem sensibiliter secundùm progressionem

nem

nem numerorum imparium, in causa videtur esse major semper æthereæ substantiæ & àëris prementis columna sive portio. Motûs reflexi causa est vis elastica; Vis verò hæc provenit ab æthere per poros corporum fluente, aut in illis incluso. Ejus enim motus dum vî compressio- nis obstructis meatibus impeditur, æther qui- etis impatiens meatus penetrando dilatari niti- tur, & reductis illis, corpus in pristinum sta- tum restituit. Reflexionis leges sunt duæ: I. Cor- pus elasticum perpendiculariter incidens in obi- cem per eandem lineam reflectitur, cum nulla sit ratio, cur in unam potius, quam in aliam partem deflectat. II. Si obliquè cadat idq; in obicem ter- sum & lævigatum, eadem obliquitate in alteram partem deferetur ita, ut angulus reflexionis sem- per sit futurus æqualis angulo incidentiæ. Ratio verò æqualitatis optima videtur, quæ ex Carthe- sio afferri solet. Refractio verò tunc datur, cum mobile ob minorem vel majorem liquidi, quod subit resistantiam, à linea recta quam insistebat, deflectit. His verò fit legibûs. I. Ut accedat ad perpendicularem, si transeat è medio densiore in rarius. II. Ut recedat à perpendiculari, si tran- seat è medio rariore in densius. Lux tamen lege dispari refringitur.

X. Id etiam proprium corporum naturalium, ut sint in loco, quemadmodum etiam in tempo- re. Planè enim repugnare videtur, aliquid extare, & nunquam, aut nusquam extare. Neq; tamen

durationem, neq; ubicationem putamus esse entitatem aliquam distinctam, illam, à re duran-  
te, sive connotante per suam existentiam tem-  
pus aliquod extrinsecum determinatum, hanc  
verò à re locata, scilicet connotante locum ali-  
quem extrinsecum. Duo corpora posse eundem  
locum vi supernaturali occupare, propugnamus,  
nec negamus idem corpus posse poni circumferi-  
ptivè in pluribus locis diffitis minimèq; conti-  
nuis virtute Divina. Quo casu bene convenient  
enti replicato prædicata opposita, quæ formaliter  
apellant locum & situm, fundanturq; tantum in  
ubicationibus, ut sedere, stare, non item verò  
prædicata, quæ in eodem subjecto nunquam be-  
ne convenire possunt, ut amor & odium DEI,  
assensus & dissensus circa eandem rem.

XI. Qualitates sensibiles optimè ex figura, mo-  
tu, & aliis affectionibus repetuntur. Lux in  
pressione celeri & recta ætheræ substantiæ po-  
sita esse videtur. Ejus varia modificatio discrimi-  
na, fortior verò aut debilior vibratio vivacitatem  
colorum efficit. Sapores ex certa partium maxi-  
mè oleosarum & salinarum figura & motu, si-  
cut odores ex tenuissimis potissimum verò sul-  
phureis corporum effluviis organum olfactûs  
diversimodè afficientibus oriuntur. Sonus in tre-  
mulo motu àëris ac reciproco, calor autem in ce-  
leri & perturbato partium corporis insensibilium,  
reponuntur. Fluiditatem motio, exiguitas, & fi-  
gura partium æquabilis atq; ad motum expedita  
efficit.

14

XII. Mundum in tempore esse conditum certâ & inconcussâ Fide contra Aristotelem & Epicurum tenendum est. Conditum verò verno tempore pars maxima Græcorum præsertim Patrum propugnat. De ætate mundi nihil certi statui potest. Si calculo Græcorum, qui usi codice græco septuaginta interpretum Annò ab orbe condito 5508. Christum natum esse opinantur, subscribere velimus, annus, qui volvitur 7263. vel 7268. ab orbe condito habeatur necesse est, sunt enim, qui probabilissimè contendunt Christum natum esse quinquenniò ante æræ Christianæ initium. Quòd si verò Recentiorum Chronographorum longè probabiliori stare velimus sententiæ, qui statuunt ætatem mundi à sui origine ad æram Christianam annis 4000. contineri, annus præsens ab orbe condito 5755. dicendus est. De fine verò mundi quidquid statuitur, error est, aut levissima conjectura. Nullius quoq; momenti esse eruditis videtur vaticinatio, quæ nomine Malachix circumfertur de futuris Pontificibus usq; ad extremum sæculorum diem; Hinc statuimus cum Illo, qui Veritas est: *de die illo & hora nemo scit, neq; Angeli Cælorum Math:24.*

XIII. Tria quidem mundi Systemata vulgata sunt, sed Ptolemaicum non probamus; tum quòd in eo systemate Cœli solidi statuuntur, nec tamen ad tantam distantiam lumini transitum intercludant, tum quòd ex observationibus Astronomicis perspectum habeatur Venerem modò ul-

H

tra,

tra, modò citra solem cerni, phasēq; lunæ subire. Non ideo tamen Kopernicano acquiescimus, nam etsi illud ad explicanda phænomena sit satis accommodatū, obvio tamen & litterali Sacrae Scripturae sensui minimè est conforme. Quare Tyehonicum propugnandum suscipimus, quod & Sacro Contextui magis consentiat, & cum Astronomia sat bene conveniat, neq; verò iis difficultatibus implicatur, quibus facile expediri non possit, præsertim si motu spirali astra moveri dicantur. Eò enim admisso facile est explicatu, quomodo sol, luna, firmamentum, dicantur speciales suos circuitus secundùm Zodiacum versùs ortum conficere, & interim diurna revolutione ferri in occasum, Rursus quomodo jam directi, jam retrogradi, jam stationarii planetæ videantur.

XIV. Solem præter motum diurnum, quo ab ortu in occasum, & periodicum, quo ab occasu in ortum in ecliptica promovetur etiam motu vertiginis, sive circa proprium axem circumagi ostendunt maculae solares subinde apparentes, quæ verisimiliùs sunt fuligines quædam in superficie concretæ, & in molem opacam condensatæ. Luna suis etiam non caret maculis, quæ tamen nihil aliud sunt, quàm lunæ partes aliæ eminentiores instar montium, aliæ depressiores. Constat namq; lunam & aspera superficie esse, & proprio lumine non fulgere. Igitur necesse est, ut ii montes aut scopuli secundùm varium solis aspectū in varias partes umbrā spargant, & illâ lunam  
quasi

15

quasi maculent. Sed eæ maculæ sunt fugaces, cum  
crescant inclinatio sole, minuuntur exaltatio, &  
pene delcantur verticali factio. Perennes autem,  
quas intelligunt Philosophi, dum de maculosa  
facie lunæ controvertunt, nihil aliud videntur  
esse, quam quædam solidæ lunæ partes, rariores  
tamen, ac proinde plus combibentes de luce, mi-  
nusq; reflectentes, ac proinde nigricantes. Luna  
eclipsim patitur, cum in oppositione existens ter-  
ræ umbram subit, quemadmodum sol in conjun-  
ctione lunæ cum suo scilicet interpositu luna so-  
lis lumen telluri eripit. Quod contingit cum am-  
bo luminaria aut in nodis, aut prope nodos op-  
ponuntur. Cometas astra esse mundo coæva atq;  
per ætherea spatia vagari non infra lunam con-  
tineri liquet, tum ex eo, quod sensibilem non ha-  
beant parallaxim, tum quod crescere & decre-  
scere videantur æqualiter eandem servando figuram.  
Nullos verò extare in planetis incolas propugna-  
mus. Quod verò attinet ad causam motus plane-  
tarum, tum aliorum astrorum, dicimus moveri  
quidem motu sibi primitus impresso à DEO, ita  
tamen, ut motus iste directione egeat Angelo-  
rum, quemadmodum navis aliunde mota novam  
accipit motus determinationem à nauclero.

XV. Elementorum quaternarius numerus sva-  
detur tantum, non demonstratur, ea sunt: terra,  
aqua, aer, ignis. Terræ particulæ cujus figuræ  
sint, facile conjici nequit, constat tamen eas esse  
admodum fixas & solidas. Terram sphericam seu

globosam esse physicè & minùs rigorosè satis superq; ostendunt argumenta Mathematica; Ejus diametro communiter 1718. milliaria Germanica tribuuntur. De ignis particulis, cum hæ omnem fugiant scientiam nihil statuimus, motum tamen rapidum non esse illis congenitum, sed ab ætherea substantia provenire probabiliùs arbitramur. Ignis potest dici levis respectivè, scilicet respectu àeris crassi cum quo æquilibrari nequit, absolutè tamen gravis est, ut ex lateribus condensato igne plenis, & ferro ignito constat, quæ plus solito ponderis obtinent. Sphæra ignis in concavo lunæ commentum est, & si aliquod centrum ipsi est statuendum, meritò in terræ medio, ubi ignis sedem esse, non modò ignis, quo impii æternùm cruciabuntur, sed etiam ignes ostendunt subterranei.

XVI. Aquam ex oblongis, teretibus, levibus, & flexibilibus particulis constare ostendunt ipsa ejus phænomena. Maris salitudinem à salis particulis cum aqua permixtis, & in ea exolutis, sive ex particulæ mari sint coævæ, sive à salinis fodi- nis oriri dicantur repetendam statuimus. Æstûs verò ejusdem, sive fluxûs & refluxûs causa meritò pressioni lunæ adscribitur. A mari proximè vel mediatè omniũ fontium, fluminumq; originẽ debere duci certum est. Quod attinet verò ad æquilibriũ aquæ & aliorũ liquorũ cum corporibus solidis, hæc tenenda sunt: *mo*. Si corpus solidũ sit ejusdem gravitatis specificæ cum liquido, accom-

modabit sese libellæ fluidi, quocunq; loco ponatur, nam æqualiter se habet, ut liquidum ejusdem molis & gravitatis specificæ cujus locum occupat. 2dò. Si corpus illud sit aquâ levius bis, ter, quater, id parte sui dimidia, vel tertia, vel quarta liquido immergetur. 3tio. Si sit gravius in specie liquidò, fundum petet. Tali tamen solido tantum gravitatis decedit, quantum par aquæ pendit volumen. Dari liquorum etiam cum liquidis ejusdem & diversæ rationis æquilibrium evidentissimâ in tubis communicantibus patet experientiâ. Liquorum tamen diversæ rationis & gravitatis specificæ uti sunt oleum, aqua, mercurius æquilibrium non consideratur secundum altitudinẽ eorundem, sed secundum rationem proportionalem ponderis, & absolutæ gravitatis ita, ut altitudo unius habeat se reciprocè proportionaliter ad altitudinem alterius. Aer etiam, qui extenuibus fibris & elasticis constare videtur, gravis est, & servat leges æquilibrii. Illiusq; gravitas est causa ascensûs & suspensionis hydrargyri in barometro aquarum in antliis & omnium effectuum, qui tribui solebant horrori vacui.

XVII. Terræ succussus aut motus ex spirituum sulphureorum ac nitrosorum instar pyrii pulveris accensorum expansione oritur. Pluviæ prodeunt, cum bullulæ, quæ nubem componunt, variis ex causis solvuntur; Ex iisdem bullulis, dum densatâ vi frigoris interiore materiâ constringuntur, nivis flocci prodeunt. Grando verò forma-

tur tum ex pluviae guttis, tum ex nivis flocculis, qui inter decidendum cum aqua concurrentes liquefactis extremitatibus formantur in grana sphaerica vel angulosa partim aquea, partim nivea, quae in inferiori regione ventu frigidu correpta in glaciẽ facile abeunt. Ventos, quos adumbrat æolipyla non una causa producit, cum vaporibus unã sulphurei ac nitrosi halitus sursum evehuntur, qui dum intra nubes premuntur, accenduntur fulgura, tonitru verò ex disruptione nubis & àeris commotione prodit. Iris ex luminis reflexi & refracti modificatione in aquae guttis facta provenit, eaq; primaria, si radii in guttis refracti ita ad oculum reflectantur, ut cum axe efficiant angulum circiter quadraginta duorũ graduum; secundaria, si efficiunt angulum majorem quinquaginta quatuor circiter graduum. Parelum in congelatae nubis superficie formari bene opinatur Carthesius, confirmariq; potest hæc opinio ex aliis parastasis in aere conspectis, quas refert Schotus in sua magia parastatica.

XVIII. Lapidis pretiosi ex fluida materia formantur, colorũ verò in iis diversitas à diversis halitibus mineralibus originem habere videtur. Vis magnetis directrix, qua sese ad mundi polos convertit, à profluviis terrae magneticis perpetuo circuitu per alterum polum erumpentibus, per alterum irrupentibus desumenda videtur. Cũ verò nullus sit in rerum natura motus tractionis, ferrum à magnete minimè attrahi, sed ab aere qui

à

à magnetica materia è spatio inter ferrum & magnetem interjecto ad latera propellitur, & in gyrum circumagitur, impelli in magnetem dicendum est.

XIX. Plantæ & bruta animâ, quæ est entitas distincta realiter à materia donantur. Non enim induci possumus, ut credamus, tum operationes animalium, & affectus ex certa partium materiæ dispositione prodire posse, tum naturam frustra elaborâsse in illis organa tam diversa & organis humani corporis persimilia, nisi sicut in homine animæ operationes exercenti inserviunt, ita in brutis exercitio operationum alicujus animæ, non rationalis quidem, sed sensitivæ inservirent. Animæ tamen plantarum & brutorum omnes divisibiles sunt, & quadam propagatione & sui divisione procreantur, adeò, ut cum glande forma quercûs & cum ovo forma pulli traducatur, nullumq; semen sit inanimatum, & nullum vivens ex putrida materia producat.

XX. Homo quinq; donatur sensibus: Tactu, gustu, odoratu, auditu, visu. Organum tactûs sunt omnes organicæ corporis partes. Organû gustûs videtur residere in papillis nerveis in extima lingvæ superficie assurgentibus, olfactûs verò organum situm est in tenui membrana, interiores narium anfractus, seu lamellas osseas, & cartilagineas obducente. Auditûs organû in dilatatis nervi acustici fibris, seu lamina spirali reponitur. Visus autem organû est retina cum choroide. Porro si-

cut visio, ita omnes aliæ sensationes perficiuntur sine adminiculo specierum Peripatheticarū, modò objectum applicetur organo aut per se, ut in tactu & gustu, aut per effluvium, ut in odoratu, aut per àërem tremulum, ut in auditu, aut per lucem, ut in visu.

*EX METAPHYSICA.*

XXI. DEI O. M. existentiam posse demonstrari invictissimis argumentis, nemini non perspectum est. Demonstrari quoq; posse quasi à priori contendunt rectè Recentiores. Deus tanquam causa prima concurret ad omnes & singulos effectus creaturarum. Negamus tamen prædeterminationē DEI ad omnes indiscriminatim, bonos, malosq; actus esse necessariam. Imò talis prædeterminatio videtur officere libertati, si tamen ad solos actus bonos & supernaturales DEUS dicatur physica motione speciali præmovere voluntatē humanā, non est cur illam non satis aptè cum libertate cohærere dicamus, placetq; nobis opinio Caramuelis, qui dissidium utriusq; sapientissimæ scholæ de physica præmotione, dissidium de solo nomine esse existimat.

XXII. Mentem hominis & spiritualem esse, & immortalem, infracta probant argumenta. Potentiæ ejus nec inter se, nec ab anima reverâ feceruntur. Non in sola glandula pineali residet, sed tota in singulis partibus existit.

D. O. M. G.



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

[www.digital-center.pl](http://www.digital-center.pl)

[biuro@digital-center.pl](mailto:biuro@digital-center.pl)

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

**Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.**

**Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.**

**All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.**